

## PARS PRIMA

Prior Logicae pars, ut inuimus, tres investigationes complectitur, quarum una circa *notiones*, altera circa *enunciationem*, et tertia circa *rationationem formaliter sumtam* versatur. Quapropter ipsam tribus capitibus comprehendemus.

## CAPVT PRIMVM

## De notione

## ART. I. De notionum speciebus, quae ad Logicam spectant

1. Notio est mentis actus, quo ipsa aliquid simpliciter apprehendit, quin de eo ullam proprietatem affirmet, aut neget<sup>1</sup>. Variis modis ipsa accipi potest<sup>2</sup>, sed in praesentiarum explicandum dumtaxat nobis est, quid sit notio universalis, quidque a particulari, atque a singulari differat.

2. Notio *universalis* ea est, quae exhibet aliquid unum, quod multis attribui potest; e. g., notio *animalis*, *hominis* etc. Cum notione *universali* confundenda non est notio *collectiva*. Notio *collectiva* illa vocatur, quae exhibet plures res singulares aliquo ordine comprehensas. Huiusmodi est notio *exercitus*, quae pluribus hominibus belli sociis convenit. Iam notio *collectiva* ab *universali* differt, 1° quia *universalis* attribuitur omnibus rebus singularibus, quae ad aliquod genus, vel ad aliquam speciem pertinent; *collectiva* autem pluribus, sed non omnibus; 2° quia illa unicuique rei singulari seorsum sumtae convenit; haec vero

<sup>1</sup> Apud recentes nomen *idea*, aut *conceptus* etiam habet.

<sup>2</sup> Praecipue maior, vel minor perfectio consideratur, qua mens nostra res sibi obiectas apprehendit. Secundum hanc rationem notio esse potest *clara*, vel *obscura*, prout mens rem percipit vel ita, ut illam ab aliis quibuslibet distinguat, vel non. Rursus notio *clara* in *distinctam* et *confusam* dividitur. *Confuse* aliquid cognoscitur, cum omnium proprietatum, quae eius essentiam constituunt, propria notitia non habetur: e contrario, *distincta* est notio, quae proprietates eius essentiam constituentes singillatim exhibet. Denique notio *distincta*, qua naturam ipsarum proprietatum rei cognoscimus, dicitur *adaequata*, secus, *inadaequata*. Vid. s. Thom. In lib. I Post., lect. XIX, et I, q. LXXXV, a. 3 c.

non nisi omnibus simul sumtis tribui potest. E. g., de unoquoque homine dici potest esse hominem, sed non item de unoquoque milite esse exercitum.

3. Notio autem *singularis* est ea, quae repraesentat aliquod *individuum*. Iam *individuum* est id, quod ex proprietatibus ita determinatis constat, ut hae omnes eadem alii convenire non possint<sup>4</sup>, puta *Socrates*.

4. Notio *universalis* dicitur *abstracta*, quia mens apprehendit aliquid commune multis rebus ex eo quod illud considerat se iunctum a proprietatibus, ex quibus in ipsis rebus determinatur. E. g., notio *hominis* repraesentat humanitatem absque proprietatibus, quibus haec in Socrate, Platone etc. determinatur. E contrario, notio *singularis* dicitur *concreta*, quia ipsa exhibet rem, prout in se determinata existit; puta notio Socratis denotat humanitatem coniunctam cum omnibus proprietatibus, quibus haec determinatur in Socrate.

5. Denique *particularis* aliqua notio dicitur, prout refertur ad universale, cui subiicitur, quia notio considerata, prout alicui universali subiicitur, denotat ipsum universale non *universe*, sed *ex parte*. Quocirca *particularis* est tum notio, e. g., *aliquorum hominum* relata ad notionem *hominis*, tum notio *hominis* relata ad notionem *animalis*.

6. Ex notionibus universalibus aliae ad aliqua genera, vel aliquas species rerum referuntur, puta notionem *animalitatis*, et *humanitatis*, aliae, quae dicuntur *supremae*, vel *generalissimae*, referuntur ad illud, quod diversis generibus rerum est commune, cuiusmodi est notio *substantiae*. Iam dumtaxat notionem *universalem* *supremae* ad Logicam spectant. Etenim Logica non est scientia huius, vel illius generis rerum, sed est scientia, quae tradit modum generalem, quo scientia cuiuslibet generis rerum acquiri potest; quapropter ipsa explicare non debet notiones, quae diversarum scientiarum obiecta sunt, sed dumtaxat notiones, ad quas diversae notiones diversorum obiectorum scientiarum revocantur. Atqui huiusmodi notiones, ad quas notiones rerum pertinentes ad diversas scientias revocantur, illae sunt, quae *supremae* dicuntur. Ergo dumtaxat notiones *supremae* ad Logicam spectant.

7. Advertendum autem est in Logica non considerari notiones

<sup>4</sup> Dicitur *individuum*, quia in plura talia, quae ipsum est, dividi nequit.

supremas, prout repraesentant has, aut illas res, sed prout habent ordinem cum aliis notionibus, hoc est, prout attribui possunt aliis notionibus, quas sibi subiectas habent. E. g., Logicus tractat de notione *substantiae*, non ut consideret res, ad quas haec refertur, sed ut cognoscat modum, quo illa notio aliis notionibus attribui potest<sup>4</sup>. Exinde fit, ut notiones supremas, prout considerantur in Logica, appellentur *categoriae*, seu *praedicamenta*, nam attribuere aliquid alicui in Scholis dicitur *praedicari*.

8. Sed advertendum praeterea est logicum non posse cognoscere, quomodo notiones supremas de aliis notionibus praedicentur, nisi iam cognoscat communes modos, quibus aliquid de aliquo praedicari potest. Notiones, quae exhibent communes praedicandi modos, nuncupantur *catogoremata*, seu praedicabilia. Quare tractationi de praedicamentis tractatio de praedicabilibus praemittatur necesse est. Itaque notiones, circa quas Logica praecipue versatur, sunt *praedicabilia*, et *praedicamenta*.

ART. II. *Definiuntur notiones, quae praedicabilia dicuntur*

9. Praedicabilia, ut diximus, sunt illae notiones universales, quae exhibent communes modos, quibus aliquid de aliquo enuntiari potest. Hae notiones sunt quinque, nempe *genus*, *differentia specifica*, *species*, *proprium* et *accidens*.

10. Species est notio universalis, quae de pluribus individuis secundum essentiam completam praedicatur. E. g., *homo* de Socrate, de Platone, aliisque singulis hominibus praedicatur, et denotat eorum essentiam<sup>2</sup> non inchoatam, et imperfectam, sed determinatam, et perfectam.

11. Genus est notio universalis, quae de pluribus speciebus secundum essentiam incompletam praedicatur. E. g., *animal* de homine, de equo, aliisque animalium speciebus praedicatur, et

<sup>4</sup> Hanc ob rationem notiones, prout considerantur in Logica, appellantur *secundae*. Ad quam rem sciendum est notiones dividi in *primas*, et *secundas*. Notio *prima* est notio rei spectatae in se, e. g., notio *hominis*, prout haec ipsum *esse* hominis repraesentat. Notio *secunda* est notio rei non spectatae in se, sed relate ad modum, quo ab intellectu cognoscitur, puta notio *hominis*, prout homo cogitatur velut quaedam *species*, ad quam Plato, Socrates et alii referuntur. Vocantur *secundae*, quia notiones *primas* iam formatas expostulant.

<sup>2</sup> *Essentia*, ut suo loco dicemus, significat id, quo res est, atque a ceteris rebus distinguitur.

eorum essentiam non quidem determinatam, et perfectam, sed inchoatam, atque imperfectam denotat.

12. *Differentia specifica* est illa notio universalis, quae repraesentat qualis sit essentia rei; nempe per differentiam essentia rei non indeterminate, uti per genus, exhibetur, sed qualis ipsa sit, determinatur. Huiusmodi est *esse ratione praeditum*. Ita interroganti, quid sit *homo*, primo respondetur esse *animal*, deinde pergenti interrogare, quale animal sit, respondetur esse *ratione praeditum*. Dicitur autem differentia *specifica*, quia per ipsam una species ab altera differt.

13. Iamvero proprietates differentiae specificae hae sunt: 1° Ipsa dividit genus in plures species, seu istud aptum reddit ad plures species efficiendas. E. g., sine illa differentia, quae dicitur *ratio*, animal in *rationale* et *irrationale* dividi non posset. 2° Differentia actu addita generi ipsum determinat. E. g., *animal*, quatenus genus est, hominem, atque belluam indeterminate significat; at cum *animali ratio* adicitur, inde natura *hominis* dumtaxat significatur. 3° Differentia ex hoc ipso, quod determinat genus, aliquam determinatam speciem constituit. E. g., species *homo* constituitur ex *ratione* addita generi *animalis*. Quapropter species ex genere, et differentia constare dicitur, seu essentia uniuscuiusque speciei est ipsa essentia generis cum determinatione, quam habet per differentiam.

14. *Proprium* est notio universalis, quae de pluribus rebus singularibus praedicatur, et denotat illam qualitatem, quae est extra essentiam rei, sed tamen *necessario* illi advenit. Huiusmodi est *esse risibile* in homine<sup>1</sup>.

15. Denique *accidens* est notio universalis, quae de pluribus rebus singularibus praedicatur, et denotat illam qualitatem, quae non solum extra essentiam rei est, sed etiam *contingenter* ab ea fluit, ita ut sive de re affirmetur, sive negetur, essentia rei non destruat. Huiusmodi est *esse philosophum* in homine<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Hoc *proprium*, cum *necessario* consequatur essentiam rei, dicitur convenire *omni* speciei, hoc est omnibus individuis, quae ad illam speciem pertinent, *soli*, et *semper*. Quocirca distinguitur tum a *proprio*, quod *soli* speciei inest, sed non *omni*, ut in homine *Geometram esse*, tum ab illo, quod *omni* quidem speciei inest, sed non *soli*, ut *bipedem esse*, tum denique ab illo, quod *omni* et *soli* inest, sed non *semper*, ut *canescere*.

<sup>2</sup> Sunt aliquae qualitates, quae, etsi *actu* a subiecto separari nequeant,

16. Itaque notiones universales, per quas, veluti per quasdam notas, cognoscimus quomodo aliquid de aliquo praedicari potest, repraesentant vel proprietates, quae essentiam rei constituunt, et sunt *genus, species, et differentia*; vel proprietates, quae essentiam rei non ingrediuntur, sed ab ea promanant, et sunt *proprium, et accidens*. Inter *genus, speciem, et differentiam* hoc extat discrimen, quod *species* totam essentiam complectitur, *genus* autem, et *differentia* partem eius tantum expriment, et quidem *genus* exprimit partem communiorem, et universaliorem, qua res ipsa cum aliis convenit; *differentia* autem partem minus communem, per quam res ab aliis omnibus distinguitur. Inter *proprium* autem, et *accidens* discrimen est, quod illud cum essentia necessario coniungitur, hoc vero essentiae contingenter advenit<sup>1</sup>.

ART. III. De generum et specierum distinctione

17. Differentiae, ut diximus, determinant genus. Hinc, prout plures, vel pauciores differentiae adduntur generi, ipsum magis, vel minus determinatur. Puta, si generi, *substantia*, quod indifferens est ad substantiam sive corpoream, sive incorpoream, differentia *corporis* addatur, ipsum coarctatur ad genus *substantiae corporeae*. Praeterea genus substantiae corporeae amplectitur tum corpora viventia, tum corpora non viventia; at si differentia *viventis* ipsi addatur, efficitur genus *substantiae viventis*. Item substantia vivens, quae amplectitur tum viventia sensu praedita, nempe animalia, tum sensu carentia, nempe vegetabilia, per differentiam *sensus* ad genus *animal* determinatur. Denique genus *animal*, in quo species hominis, et belluae continentur, per differentiam *rationis* speciem *hominis* dumtaxat repraesentat. Exinde oritur distinctio generum, et specierum in *suprema, media, atque infima*. Genus *supremum* est illud, quod omnibus praest, et nulli alii generi subiicitur. Genera *media* sunt illa,

tamen inter accidentia numerantur. Huiusmodi est *nigredo* in corvo. Cum enim hae qualitates ab essentia rei contingenter promanent, intellectus potest illas qualitates negare, quin essentia rei destruat. Hinc hae qualitates *actus* quidem inseparabiles, sed *cogitatione* separabiles a subiecto sunt.

<sup>1</sup> Adnotandum est nomen *accidentis* etiam *proprio* attribui posse, quatenus *proprium* significat aliquid, quod advenit essentiae rei. Quia vero *proprium* necessario advenit essentiae rei, ita dicitur *accidens speciei*, et hoc modo distinguitur ab accidente, quod est quantum praedicabile, quodque *accidens individui* appellatur.

quae subiiciuntur superiori, et simul praesunt inferioribus. Denique genus *infimum* est illud, quod nulli generi, sed solis speciebus praest. Ita in allato exemplo *substantia* est genus supremum; *animal* vero est genus infimum; denique *corpus, et vivens* sunt genera intermedia, quia inter supremum, et infimum intercedunt.

18. Genus supremum numquam efficitur species, quia nulli subiicitur; sed genus medium, et infimum sunt simul genus, si comparentur cum speciebus sibi subiectis, et species, si ad genus superius referantur. E. g., *corpus* respectu *substantiae* est species, et respectu *viventis* est genus, quia corpus potest esse vivens, aut non vivens. Item *animal* relatum ad *vivens* est species; relatum autem ad *belluam et hominem* est genus.

19. Ad haec genus dicitur *proximum*, si refertur ad species, quae sub eo immediate ponuntur, et *remotum*, si refertur ad species mediate, hoc est, per alias species. Ita genus proximum hominis, et belluae est *animal*, quia homo, et bellua *animali* immediate subiiciuntur; remotum vero *vivens*, quia homo, et bellua *viventi* mediate subiiciuntur.

20. Quod attinet ad species, *suprema* est, quae supra se aliam speciem non habet, ut *corpus*; *media* autem, quae tam supra se, quam infra se habet aliam speciem, ut *animal*; *infima* denique, quae sub se non habet ullam speciem, sed tantummodo res singulares. Quocirca species infima eiusmodi est, ut numquam sit genus.

ART. IV. De notionum complexione, et ambitu

21. In qualibet notione invenitur quidam *complexus*, et quidam *ambitus*. *Complexus* consistit in iis elementis, ex quibus notio efficitur. E. g., in notione *hominis* complexus consistit in eo, quod homo est substantia vita, sensu, et ratione praedita. *Ambitus* est numerus subiectorum, ad quae notio porrigitur<sup>1</sup>. Iam complexus, et ambitus sunt *in ratione inversa*, nempe, quo maior est alicuius notionis complexus, eo minor est ambitus; et quo maior est ambitus, eo minor est complexus. E. g., complexus *hominis* maior est, quam *animalis*, quia in *animali* non

<sup>1</sup> Cartesiani, et Wolfiani pro complexu *comprehensionem*, et pro ambitu *extensionem* dixerunt.

continetur *ratio*, sed minor est ambitus, quia *homo* dumtaxat ad animalia ratione praedita, animus vero ad homines, et ad belluas porrigitur.

22. Ex quibus facile est haec colligere: 1° In serie universalium genus supremum habet maximum ambitum, sed minimum complexum; e contrario, species infima minimum ambitum, et maximum complexum continet. 2° Quidquid in notione superiori continetur, in notione inferiori etiam invenitur, sed non vicissim, quia in notione superiori minor, et in notione inferiori maior est complexus. E. g., quidquid in genere *animalis* continetur, invenitur etiam in *homine*, et quidquid invenitur in *homine*, cuilibet individuo homini etiam inest; sed non omnia, quae sunt in *homine*, sunt etiam in *animali*, neque quidquid est in *Socrate*, est etiam in homine. Quocirca a genere ad speciem, atque a specie ad individua, sed non item ab individuo ad speciem, atque a specie ad genus concludi potest.

ART. V. *Quinam sint termini univoci, aequivoci, et analogi, explicatur*

23. Mos in Scholis est ante tractationem praedicamentorum quaedam explicandi, quorum cognitio ad illorum cognitionem valde confert, quaeque idcirco *Anle-praedicamenta* vocantur. Ex his ea, quae ad terminos *univocos*, *aequivocos*, et *analogos* spectant, praesertim nota esse volumus.

24. *Univocum* dicitur illud nomen, quod pluribus communiter attribuitur, secundum eandem suam significationem. Huiusmodi est nomen *animal*, quod homini, et bruto convenit. *Aequivocum* est illud nomen, quod de pluribus secundum diversam significationem enunciat; e. g., *canis*, quo et canis terrestris, et canis marinus denotantur. Iam nomina aequivoca in duo genera distinguuntur, nempe vel sunt *pure aequivoca*, vel *analogica*. Nomen *pure aequivocum* dicitur illud, quod pluribus attribuitur, quin sit in eis aliquod fundamentum, per quod illud nomen commune sortiuntur. Huiusmodi est nomen *canis*, cum animali, et sideri tribuitur. *Analogum* autem appellatur illud nomen, quod datur pluribus, quia in eis est aliqua ratio, ex qua illud commune nomen accipiunt. Huiusmodi est nomen *sanitas*, quod cum corpori, tum medicinae, tum pulsui tribuitur ob ordinem, quem ad sanitatem habent; corpus enim dicitur sanum,

quia *sanitas* ei, tanquam subiecto, inhaeret, medicina dicitur sana, quia in causa est, cuius corpus sit sanum, et pulsus vocatur sanus, quia corpus esse sanum patefacit.

25. Ratio, ob quam horum terminorum explicatio hic redditur, ea est, ut intelligatur 1° quamlibet categoriae speciem praedicari *univoce* de iis, quae sibi subiiciuntur; e. g., *substantia* tum substantiae incorporeae, tum corporeae eadem ratione attribuitur, utraque enim, quatenus substantia est, aliquid significat, quod habet *esse non in alio*; 2° *ens* de singulis categoriis praedicari *analoge*; siquidem unaquaelibet earum peculiarem modum entis significat<sup>1</sup>. Ita « nomine substantiae exprimitur quidam specialis modus essendi, scilicet per se ens<sup>2</sup> ».

ART. VI. *De categoriis, et primum de substantia*

26. *Categoriae*, seu *Praedicamenta* sunt, ut diximus, illae supremae notiones, ad quas notiones ceterarum rerum revocantur. Dicuntur etiam *suprema praedicandi* genera, quia complectuntur omnia, quae de rebus praedicari, seu enunciari possunt. Decem ipsae sunt, quae recenseri solent hunc in modum: *substantia*, *quantitas*, *relatio*, *qualitas*, *actio*, *passio*, *ubi*, *quando*, *situs*, et *habitus*. Quatuor primae tantum hic a nobis explicantur, reliquae omittuntur, tum quod penita earum cognitio ad Logicae usum non pertinet, tum quod de illis opportunius, et facilius alias tractandum nobis erit.

27. Iam *substantia* ita definitur: *Res, cui convenit esse in se, vel per se*, hoc est, res, cui *esse* ita convenit, ut in alio, tanquam in subiecto, non inhaereat. E contrario, illud, cui convenit *esse* in alio, nempe ita ut in alio, tanquam subiecto, inhaereat, vocatur *accidens*<sup>3</sup>.

28. Ex his perspicitur notionem substantiae ex eo constitti,

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, q. 1, a. 3 ad 2.

<sup>2</sup> *Q. disp.*, *De Ver.*, q. 1, a. 1 c.

<sup>3</sup> *Accidens*, de quo hic agimus, dicitur *categoricum*, seu *praedicamentale*, ut distinguatur ab *accidente praedicabili*, de quo antea locuti sumus. Hae duae accidentis species in eo consentiunt, quod utrumque est res, cui esse in alio convenit. Ast unum ab altero differt, quod accidens praedicamentale denotat illud, quod rei, quae per se est, nempe substantiae, opponitur, accidens autem praedicabile significat illud praedicati genus, quod intellectus intelligit essentiae rei advenire, et maxime illud, quod, ut supra adnotavimus, accidens *individui* nuncupatur.

quod res habeat esse, quin indigeat subiecto, cui inhaereat, non autem ex eo, quod non indigeat causa, a qua pendeat. Illud enim, quod a causa non pendet, dicitur esse non solum *in se*, sed etiam *a se*, quod solius Dei proprium est.

29. Substantia autem est aut *prima*, aut *secunda*. *Prima substantia*, quae notionem perfectae substantiae exhibet, est individuum, nempe, ut Aristoteles inquit, *hoc aliquid*. Species autem, et genera dicuntur *substantiae secundae*; haec enim non habent esse *in se*, nisi prout in individuo determinantur. E.g., *humanitas* non nisi in Petro, aut in Paulo, aut in alio quovis homine re ipsa subsistit.

30. Substantia *prima* est, quae primam categoriam constituit. At vero ipsa, prout categoria est, accipienda non est, quatenus denotat hoc, vel illud individuum, e. g., Petrum, aut Paulum, nam hoc modo non potest esse supremum praedicandi genus; sed accipienda est prout denotat modum existendi omnibus individuis communem, nempe subsistentiam in se. Hoc modo categoria substantiae de singulis substantiis, quae extra intellectum sunt, praedicatur.

#### ART. VII. De quantitate

31. Quantitas proprie consistit in divisibilitate, nempe aliquid dicitur quantum ex eo quod est divisibile in partes. Dicitur etiam *mensura substantiae*, seu id, per quod substantia est mensurabilis; nos enim substantiam metimur, quatenus sumimus aliquam minimam partem quantitatis, atque huic, tamquam primae parti, alias, unam post aliam, addi intelligimus.

32. Quantitas dividitur in *continua* et *discretam*. *Continua* ea est, cuius partes aliquo communi termino necluntur, qui nempe nullius partium, quas neclit, proprius est, sed finis est prioris partis, et principium posterioris. *Discreta* est ea, cuius partes nullo communi termino necluntur, sed singulae a singulis seiunguntur.

33. In quantitate continua tres dimensiones nobis occurrunt, caeque sunt *longitudo*, *latitudo* et *profunditas*. Hanc ob rationem quantitas continua dicitur *dimensiona*. Iam, etsi hae tres dimensiones simul iunctae in corpore semper existant, tamen licet nobis cogitare longitudinem sine latitudine, et profunditate, atque longitudinem et latitudinem sine profunditate. Longi-

tudo sine latitudine, et profunditate est ea quantitas, quae dicitur *linea*; longitudo autem, et latitudo sine profunditate efficiunt illam quantitatem, quae vocatur *superficies*; quantitas vero, quae longitudinem, latitudinem et profunditatem habet, nuncupatur *corpus*<sup>1</sup>.

34. Quantitas ob tres dimensiones, quas in ea esse vidimus, non nisi substantiae corporeae, quae ex partibus constat, propria est. At sensu translato tribui potest etiam substantiis spiritualibus, quae sunt expertes partium; et prout ipsis tribuitur, non dicitur *dimensiona*, sed *virtualis*, quia denotat aliquam illarum perfectionum, quae ad earum vel naturam, vel esse, vel durationem, vel vim agendi pertinent.

#### ART. VIII. De relatione

35. Relatio in universum sumta illud proprie denotat, per quod unum ad aliud quendam ordinem habet. Quare in relatione tria distinguuntur, scilicet *subiectum*, nempe illud, quod habet ordinem ad aliud; *terminus*, seu illud, ad quod subiectum habet ordinem, et *fundamentum*, seu principium, cuius ratione subiectum ad terminum comparatur. Ita si cyenus *similis* columbae propter albedinem dicatur, cyenus erit *subiectum*, columba *terminus*, albedo autem *fundamentum* huius relationis. Subiectum, et terminus vocantur etiam *extrema*.

36. Relatio autem esse potest vel *proprie*, et *stricte realis*, vel *logica*, vel *mixta*. Relatio realis est ea, quam intellectus apprehendit inter res vere existentes, quae naturalem ordinem habent ad invicem. Huiusmodi, e. g., est relatio, quae inter patrem, et filium intercedit. Haec relatio vocatur *mutua*, quia eius fundamentum in ambobus extremis realiter existit. Puta, mutua est relatio, quae inter patrem, et filium intercedit, quia pater ad filium, et filius ad patrem ordinem naturalem habet.

37. Relatio autem *logica* exurgit ex eo, quod intellectus ordinem ponit inter suos conceptus, atque ita unum ad alterum

<sup>1</sup> Corporis nomine hic intelligitur non corpus *physicum*, nempe prout est substantia composita ex materia et forma, ac proinde quod non solum quantitate, sed etiam qualitatibus sensilibus est praeditum, sed corpus *mathematicum*, quod est quantum praecise sumtum, hoc est, quantum, in quo dimensiones quantitatis a natura et essentia corporis, atque a qualitatibus sensilibus seiunctae intelliguntur.

refert. Quae circa est ea, qua aliquid ad aliud refertur, *non secundum rationem existendi, sed secundum rationem intelligendi* <sup>1</sup>. E. g., intellectus, si comparat] conceptum lapidis, quem *actu* in se considerat, cum [conceptu lapidis, quem antea sibi confecit, et unum esse eundem cum alio advertit, relationem *identitatis* inter utrumque ponit.

38. Denique relatio dicitur *mixta*, quoties ordo inter eius extrema huiusmodi est, ut in uno eorum fundamentum sit naturale, in altero autem ab intellectu ponatur. Haec relationis species dicitur etiam *non mutua*, quia in ea unum extremorum dumtaxat ordinem ad aliud reipsa habet. Id genus est relatio creationis, quae intercedit inter Deum, et res ab Eo creatas; nam relatio creationis in rebus creatis realiter invenitur, quia ipsae, quidquid sunt, a Deo per actum creationis accipiunt; in Deo autem invenitur tantum *secundum rationem*, quia Deus a rebus creatis nullo modo perficitur.

39. Termini, seu extrema relationis mutuae sunt *simul natura*; siquidem non potest eorum unus poni, quin et alter ponatur, nec unus tolli, quin et alter tollatur. E. g., si est qui dicitur pater, oportet etiam esse, qui dicatur filius; et si est, qui dicitur filius, necesse est patrem aliquem esse; pariterque, si pater non est, non erit filius, et si non est filius, nec erit pater. Hoc autem intelligendum est de *esse* ipsarum relationum, quae in subiectis sunt, non vero de *esse* subiectorum, in quibus sunt relationes. E. g., esse patris, et esse filii, prout homines sunt, non sunt simul natura.

40. Rursus termini relationis mutuae, si spectentur, prout sunt relati, sunt *simul cognitione*, quippe quod conceptus unius conceptum alterius, et vicissim, ex postulat. E. g., pater intelligi non potest, quatenus est pater, nisi et filius simul intelligatur. Quod si spectentur non prout sunt quaedam res relatae, sed prout simpliciter sunt quaedam res, cognitio unius non ex postulat cognitionem alterius. E. g., si Petrus, pater Pauli, spectetur non prout pater est, sed prout homo est, potest intelligi, quin simul intelligatur Paulus.

41. In relatione autem *non mutua* termini non sunt *simul natura*, nam illud extremum, in quo fundamentum est reale, ha-

<sup>1</sup> S. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, dub. 3.

beri nequit sine illo, in quo fundamentum ponitur ab intellectu, sed non vicissim. E. g., existentia rerum contingentium haberi nequit sine existentia Entis necessarii, nempe Dei, sed non vicissim. Item termini huius relationis *non mutuae* non sunt *simul cognitione*. E. g., conceptus rerum, quae in mundo sunt, mentem nostram extollit ad conceptum Dei; sed conceptus Dei nos haud perducit ad conceptum rerum, quae in mundo sunt, quia Deus sine rebus existere potest. At vero, si termini relationis non mutuae, prout relati sunt, spectentur, simul *natura et cognitione* esse dicendi sunt; nam ipsi tamquam relati spectari non possunt, nisi quendam ordinem inter se habeant, hic autem ordo ex postulat, ut unus haberi, et intelligi nequeat sine alio. E. g., etsi, posito scibili, necesse non sit poni scientiam, tamen non potest aliquid spectari tamquam scibile, nisi ad aliquem referatur, qui illud sciat. Item, etsi conceptus Dei secum non ferat conceptum rerum creatarum, tamen Deus intelligi non potest, tamquam creator, nisi ad res extra se referatur.

#### ART. IX. De qualitate

42. *Qualitas* est accidens, quod per se inducit in substantiam specialem modum essendi; e. g., scientia, virtus, color etc. Iam qualitas, cum vocatur accidens, distinguitur a *differentia specifica*; haec enim, etsi efficiat substantiam *qualem*, tamen non est accidens rei, quia essentiam rei constituit <sup>1</sup>. Dicitur autem qualitas *per se* inducere in substantiam specialem modum essendi, quia qualitas sine alius modi subsidio modificat substantiam, dum e contrario alia accidentia substantiam *qualem* reddunt non *per se*, sed *consequenter*, nempe per diversos modos, quibus eam efficiunt. E. g., quantitas substantiam quodammodo *qualem* efficit non per se, sed ex eo quod partes, quas substantiae tribuit, modificari queunt.

43. Quatuor qualitatis species distinguuntur. Prima qualitatis species illa dicitur, per quam substantia ita determinatur, ut bene, vel male se habeat aut in se, scilicet in suo *esse*, aut ad bene, vel male operandum. E. g., sanitas ita determinat corpus, ut bene, et aegritudo, ut male se habeat. Haec autem qualitatis species dicitur *habitus*, aut *dispositio*. Vocatur habitus, si

<sup>1</sup> Cf p. 11.

eiusmodi est, ut difficulter dimoveri possit a subiecto, cui inhaeret; e. g., scientia; *dispositio* autem, si facile ab eo dimoveri potest, e. g., opinio, suspicio, *dulcitas*.

44. Secunda qualitatis species afficit facultatem agendi, qua substantia pollet, atque consistit in proclivitate, vel imbecillitate, quae ipsi inest ad agendum ea, quae eius obiectum sunt, et ad resistendum iis, quae illius exercitationem impedire possunt. Proclivitas vocatur *potentia*, imbecillitas autem *impotentia*. E. g., Socrates per qualitatem *potentiae* naturaliter comparatus erat ad philosophiam morum addiscendam.

45. Tertia qualitatis species est illud accidens, quod in substantia transmutationem sensibilem producit, vel a transmutatione sensibili producitur. Huiusmodi est *melus*, qui statum hominis perturbat, vel *pallor*, qui ex metu efficitur in vultu hominis. Haec tertia qualitatis species vocatur *passio*, si est levis, et fugax, e. g., pallor, qui ex metu gignitur; vocatur autem *passibilis qualitas*, si est constans, et diuturna, e. g., pallor ex longa aegritudine ortus.

46. Denique quarta qualitatis species dicitur illud accidens, quod resultat ex dispositione partium quantitatis. Haec postrema species qualitatis vocatur *figura*, prout denotat id, quod claudit quantitatem, vel *forma*, prout denotat id, quo una quantitas ab alia discriminatur.

ART. X. De definitione, et divisione <sup>1</sup>

47. Definitio est oratio, quae quasi involutum evolvit id, de quo quaeritur <sup>2</sup>. Duplicis autem est generis, *nominis* nempe, et *rei*. Definitio *nominis* ea est, quae explicat, quid per aliquod nomen significetur; puta, cum aliqua vox explanatur per dictiones, a quibus oritur, seu per eius etymologiam; vel cum disputantes patefaciunt, quo sensu voces usurpare velint <sup>3</sup>. Definitio autem *rei* ea est, quae essentiam rei per aliquam vocem significatae determinat; quare ipsa conficitur, cum proprietates, quae essentiam rei exhibent, recensentur, e. g., cum *homo* definitur, *animal ratione praeditum*; vel cum assignantur causae internae, scilicet *ma-*

<sup>1</sup> De his hoc loco agimus, quatenus ad notionum perfectionem nobis comparandam ipsae inserviunt.

<sup>2</sup> Cic., *Topic.*, c. 2. De definitione cf. Alb. M., *Topic.*, lib. VI, tr. 1, c. 1, et passim. — <sup>3</sup> *Qq. dispp.*, De Ver., q. II, a. 1 ad 9.

*terialis*, et *formalis*, quae rem constituunt, e. g., cum *homo* definitur, *substantia constans ex corpore, et anima rationali* <sup>1</sup>.

48. Ut definitiones rite conficiantur, haec observanda sunt: 1° Definitio debet neque pauciores, neque plures notas enumerare, quam quae necessariae sunt ad rem definitam ab omnibus aliis discernendam. Perperam faceret, e. g., qui hominem *animal bipes*, vel, *animal bipes ratione praeditum* definiret <sup>2</sup>.

2° In definitione genus proximum, et differentia specifica adhibeantur oportet: hoc enim pacto tota rei natura quam brevissime exhibetur, atque a ceteris omnibus secernitur. Ideo autem genus *proximum*, non vero *remotum* adhibendum est, quia genus remotum non complectitur omnia, quae generis inferioris notione continentur <sup>3</sup>; ac proinde si definitio fiat per genus superius, aliqua, quae spectant ad genus proximum, differentiam ingrediuntur. Ita, si triangulum rectangulum definiatur per figuram planam tribus lineis circumscriptam, cuius unus angulus est reclusus, non apparet, utrum ternarius numerus laterum spectet ad genus, an ad differentiam. At si definiatur per triangulum, cuius unus angulus est reclusus, luculenter cognoscitur ternarium numerum laterum esse omnibus triangulorum speciebus communem, et differentiam trianguli rectanguli in eo positam esse, quod angulorum unum reclusum habeat.

3° Oportet, ut definitio sit clara, nempe fiat per notiora, quam res definita, siquidem ignotum per ignotum manifestari nequit. Atque ob eandem rationem docent Logici, cavendum esse a definitione *in orbem*, quam *circulum vitiosum* appellant, scilicet quando in definienda aliqua re adhibetur vocabulum, in cuius definitione occurrit illud ipsum, quod priori definitione expli-

<sup>1</sup> Definitiones a *descriptionibus* distinguendae sunt. Etenim in his non solum proprietates recensentur, quae essentiam rei constituunt, sed etiam illae, quae ab essentia necessario, vel contingenter fluunt. E. g., descriptio fit hominis, cum dicitur esse *animal providum, sagax, multiplex, acutum, plenum rationis et consilii*. Item, non definitur, sed potius describitur res aliqua, cum eius causae externae, nempe *efficiens, exemplaris, et finalis*, assignantur; puta si dicatur: *Homo est a Deo in sui similitudinem creatus propter beatitudinem*.

<sup>2</sup> Id s. Thomas docuit, cum inquit oportere, ut definitio denotet *aliquam formam de re, quae per omnia ipsi respondet*. Hinc intelligis, cur Logici doceant, definitionem, si recta sit, cum re definita reciprocari. Revera aequae dici potest: *Quisquis est homo, est animal ratione praeditum, et, Quidquid est animal ratione praeditum, est homo*. — <sup>3</sup> Cf p. 13.

candum erat. Hoc vitium peccaret, si quis diceret, horam esse vicesimam quartam partem diei, diem autem tempus viginti quatuor horarum <sup>1</sup>.

4° Definitio verbis negantibus fieri nequit, quippe quod ipsa non tam quid res non sit, quam quid res sit, explicare debet <sup>2</sup>.

49. *Divisio* autem est *totius in partes distributio*. Totum, quod in partes dividitur, *divisum* audit, et partes, in quas totum dividitur, *membra dividenda* dicuntur. Si qua divisionis pars complexa sit, suasque in partes et ipsa solvatur, subdivisio existit. Denique plures divisiones eiusdem rei, quae diversis modis consideratur, *condivisiones* a logicis dici solent.

50. Totum, quod dividitur, triplicis generis est, nempe *integrale, universale, et potentiale* <sup>3</sup>. Totum *integrale* illud est, quod ex partibus coalescit, quae re ipsa ab se invicem abscindi possunt, cuiusmodi est *domus*, quae ex fundamento, pariete, tecto exurgit <sup>4</sup>. Totum vero *universale* illud audit, cui partes, tamquam species subiiciuntur, veluti *animal*, quod in hominem, et belluam dividitur. Denique totum *potentiale* nominatur illud, cui plures potentiae, seu facultates inter se distinctae insunt, veluti *anima humana*, quae, etsi una et simplex sit, tamen in *intellectivam, sensitivam, et vegetativam* dividi solet.

51. Regulae rectae divisionis, sunt praecipuae tres. Prima vetat, quin divisio fiat in partes pauciores, aut plures, quam oportet, quia partes totum aequare debent. Contra hanc regulam peccaret tam qui angulum in rectilineum, et curvilineum, quam qui lineam in rectam, curvam, et mixtam divideret. Secunda praecipit, ut pars una aliam non includat; secus enim eadem pars bis sumeretur. E. g., in vitium incurrit, qui ita dividit: Tria

<sup>1</sup> Haec autem regula in *relatis* locum non habet, siquidem natura cuiusque relati a natura termini, ad quem refertur, efficitur.

<sup>2</sup> Advertendum autem est, posse definitiones negantes adhiberi, ubi defectus alicuius rei est definiendus; puta si quis dicat surdum esse, qui non audit, et caecum, qui non videt. Item, in definiendis contradictoriis. Nam, cum eorum unum affirmet id, quod alterum negat, definitio uno per id, quod est, alterum defini potest per id, quod non est. E. g., si quis, postquam substantiam materialem definiit illam, quae ex partibus coalescit, substantiam immaterialem illam definiat, quae ex partibus non constat, recte is substantiam immaterialem definiisse censendus est.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., 1, q. LXXVII, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> Huius *totius* distributio a veteribus *partitio* proprie dicta fuit.

sunt, quae homines sollicitant, metus, cupiditas, aegritudo; namque metus, et cupiditas species quaedam aegritudinis sunt. Tertia iubet divisionem fieri *gradatim*, hoc est, primum in membra generalia, tum in ea, si opus fuerit, quae his continentur. Itaque non recte dividitur *vivens* in *plantam, hominem, et belluam*; sed divisio instituenda est per membra proxima, hoc ferme pacto: *vivens* aliud sensu caret, ut *planta*, aliud sensum habet, ut *animal*; et rursus, *animal* aliud est rationis particeps, ut *homo*, aliud expers, ut *bellua*.

## CAPVT II.

## De iudicio et enunciatione

## ART. I. De natura, et elementis iudicii atque enunciationis

52. Iudicium illa est actio, qua mens duas notiones inter sese comparat, easque coniungit, aut separat, prout convenire, aut differre cognoscit. Brevius cum s. Thoma defini potest: illa actio intellectus, *secundum quam componit, et dividit, affirmando, et negando* <sup>1</sup>. Iam enunciatio est iudicium verbis expressum. Quapropter enunciatio definitur: *oratio, quae aliquid significat aiendo, vel negando*. Hanc ob rationem oratio *indicativa* etiam appellatur, siquidem affirmatione, atque negatione veritas, et falsitas rerum indicatur.

53. Exinde discrimen perspicitur inter enunciationem, et alias species orationis, puta *interrogativam, optativam, imperativam*. Etenim in his affirmatio, vel negatio, ac proinde verum aut falsum proprie non denotatur, sed dumtaxat quidam ordo, qui actum intellectus de veritate, aut falsitate rerum iudicantis consequitur. E. g., is, qui communitati praest, cum legem com-

<sup>1</sup> *Qq. disp., De Ver., q. XIV, a. 1 c.* Circa quam definitionem adnotandum est vocibus *compositionis, et divisionis* intelligi posse vel conjunctionem, et separationem notionum, vel nomine *compositionis* comparisonem earum, et nomine *divisionis* distinctam rationem, qua subiectum, et attributum considerantur. Si hoc altero sensu accipiantur, compositio, et divisio in cunctis iudiciis cum affirmantibus, tum negantibus inveniuntur, ita ut divisio compositioni praecedat; nam non licet nobis asserere, aut negare unam notionem de altera, nisi ambae secum comparentur, et notiones non possunt comparari, nisi tamquam inter se distinctae accipiantur. Sin primo sensu, compositio est propria iudiciorum affirmantium, et divisio est propria iudiciorum negantium.